



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lazarvs C. 17. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. LAZARVS C. 17. Decembru.

Ille LAZARVS est, quo fratre germano nobiles sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, coque adigere amantem, ut contra ferreas mortis leges sepultum iam & tabescentem vitæ, & quod caput est, amicitia suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abraham non invitus rediret LAZARVS. Caterùm sic vivus invidiâ tantùm nõ emori Iudæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, subtilissimo consilio, cum fatis jura dicere Christum viderent natum jam nuper LAZARI patronum. Hoc tamen in celos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus, revixere odia in LAZARVM nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è scholâ Christi & LXXII. discipulis fuit) Marthaque & Magdalenâ sororibus, virgine item Marcellâ, sexul in navim compingitur, velis remisque sed non caelesti etiam aurâ destitutam. Nam LAZARVM sociosque in Gallias tulit & innoxios Massilia exposuit. Miraculo & hæc & alia vicinæ urbes permulta Christo cre-

crediderunt. Tum demum amoribus suis in filvis Magdalena vacavit, Martha sanctis virginibus, LAZARVS civibus Antistites præsuerunt. Dubium ergo est LAZARVS ne invenerit illic portum, an ostenderit Gallis? certe absque LAZARO fuisset, naufragium in portu Massilienses fecissent. *Ex hist. Evang. & Brev. Rom.*

8. MODESTVS EP. 18. Decembris.

Nobiliores nemo MODESTO habuit cunas. Rogas quales? carceres fuere, in quos ad captivum patrem vix natum mater asportavit, docuitque à teneris martyrem esse. Quinto à partu mense inter preces uterq; parens inibi animam Deo reddidit, opulentam filio hereditatem vincula post se relinquens. At hanc invidens Maximianus Imp. educendum viro Senatorii Ordinis tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed cum primum MODESTVS per aetate intelligere cunabula sua potuit, doluit scilicet vel inscium se à parentum vestigiis deflexisse; & degenerem tam diu se putavit, quousque fugâ Athenas delatus Christianis se junxit. Hic dum sacro lustratur fonte, radiantem ignibus columnam in caput pueri descendere Episcopus vidit. Cum deinde è cive genium malum, è sorore verò Heri sui morbum depulisset, heredem hic